

QK. 524, 72.

X 1903822

B. m.



MEMORIA

JOH. TAULERI

Instaurata,

&

Sospitante DEO,

Loco Exercitii Academici

exhibita

à

M. GEORG. FRIDER. HEUPELIO,

Argentoratensi,


d. XXXI. Mensis Martii,

RESPONDENTE

CHRISTIANO SCHNEIDERO,

Domitio - Misnico, Philosophiæ & SS.

Theol. Cultore.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M D C LXXXVIII.



70.



SENI maximè VENERABILI,
VIRO

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Con-
sultissimo,*

D. JOHANNI REBHAN, JCto,

S. Cæs. Palat. Com. Diversorum Principum & Comitum
Consiliario eminentissimo, Capituli Colleg. ad D. Thom. Præposito
præclarissime merito, Jurisprud. ibidem ultra 50. annos Prof. Ordin. ce-
leberrimo, atque Universitatis & Collegii Jurid. Seniori
gravissimo,

*Domino PROPATRUO omni pietatis studio
æternum prosequendo,*

&

VIRO

Nobilissimo atque Spectatissimo,

JOHAN. GEORG. WEZELIO,

Ærarii publici Argentinensis Secretario
meritissimo,

Dn. Avunculo observantissimè colendo,

Exercitium hoc, ceu publicum constantissimi
in ipsos amoris & venerationis testimonium,
cum voto

omnis felicitatis,
inseribit

PRÆSES.



IN NOMINE DOMINI JESU!

PRÆFAMEN.



Audet pariter & abundat patria mea *Argentoratum* Doctoribus Theologis multo meritissimis, (faxit ipsos divinum Numen diutissime superstites) qui scriptis suis perenne nomen, famamque perpetuam sibi compararunt. Vos commemorarem in præsens, nisi modestia illorum, simulque laudum jam totum ferme orbem pervagata opinio me cohiberet. Floruit sane dudum & superiori ætate usque ad incunabula instauratæ religionis illustrata est à viris longè doctissimis atque egregiis, qui cum ob diligentiam, tum ob edita doctrinæ monumenta passim celebrantur. Eo numero fuerunt *Schmidii*, *Dorschai*, *Dannbaweri*, *Bebelii*, *Scheidii*, *Schalleri*, *Fröreisenii*, *Gisenii*, *Taufreneri*, *Schadai*, *Marbachii*, *Fagii*, *Hediones*, magna profecto nomina! Prætereo *Ludovicum Rabum*, *Hieronymum Zanchium*, *Job. Piscatorem*, *Petrum Martyrem*, *Job. Calvinum*, *Martinum Bucerum*, & alios, *Conf. Æsculapius* & *Nestor Teutonicus*, *D. Melchior Sebizius* (a). Quin etiam ante reformationem religionis non paucos habuit viros Ecclesiasticos, qui librorum editione se immortalitati consecrarunt, quod ex *Job. Tribemio* (β) aliisque cognoscimus. Inter eos *Job. Taulerus* & *Job. Geilerus*, *Kaisersbergius* à patria cognominatus,

tus, in tantum caput extulerunt, in quantum eorum doctrina laudesque digne aestimari possunt. *Kaisersbergium* Cl. *Matthias Berneggerus* (γ) virum vocat festivissimi ingenii. Præclarum est elogium, quod ei tribuit *Job. Tritemius* (δ): *Jobannes*, inquam, *Kaysersberg*, *Presbyter* & *predicator insignis Ecclesie Argentinensis*, *vir in divinis scripturis studiosus*, & *eruditus*, & *in secularibus literis egregie doctus*, *ingenio subtilis*, *Sermone disertus*, *vita & conversatione præclarus*, *veritatis præco imperterritus*, *virtutis amator*, *hostis vitiorum*, *qui scelera improborum sæpe usque ad invidiam persecutus est*, *scripsit nonnulla præclara opuscula* &c. De *Taulero* constitui nunc agere prolixius & colligere cupio, quæ sparsim apud autores de eo prodita inveni, spe fretus, non vanam esse operam, quam sumere volui, ut notatim imprimis digna attingerem, summatimque hic referrem.

(a) *Append. chronolog. B. Joh. Schmidii concionibus in Jubil. Gymnassii Argent. A. 1638. habitis annex.* (b) *Catalog. vir. illustr. Germania & script. Eccles.* (γ) *in observ. miscellan. observ. 26. p. 178.* (δ) *Catalog. vir. illustr. Germ. part. 1. opp. edit. Francof. 1601. p. 170. Conf. Catalog. Script. Eccles. part. 1. opp. p. 384. & 385.*

XIV §. I.

IN medio seculi ~~16~~ vixisse & floruisse nostrum *Taulerum*, omnes consentiunt, quo tempore claruit etiam *Franciscus Petrarca*, qui literas humanitatis longo silentio sepultas velut & mortuas asseruit, pristinamque in dignitatem vindicavit apud *Tritemium* (a). Annum & diem natalem qui memoriae prodiderit, neminem scio. Nec etiam parentum ad nos ulla pervenit notitia. Omnes hic, quos consului & pervolvi, nihil de genere reddunt, & prorsus tacent.

(a) *Sic*

(a) Sic enim ille de Petrarcha *Catal. script. Eccles. p. 332. ait* :
Franciscus Petrarcha natione *Ethruscus* vir in divinis
scripturis eruditus, & in secularibus literis omnium sui
temporis longe doctissimus, philosophus, rhetor, & poe-
ta celeberrimus, qui literas humanitatis post longa si-
lencia mortuas (ut ita dixerim) ab inferis revocavit ad
superos, non minus sancta conversatione, quam scien-
tia clarus emicuit.

§. II. Imo ne patriam quidem satis certo com-
pertam habemus. Equidem non me fugit *Job. Micra-*
lium (a) olim paedagogii *Stetinensis* Rectorem, de ur-
be & Gymnasio *Sedinensi* præclare meritum, virum in o-
mni studiorum genere insignem, ei patriam vindicare *Co-*
loniam Agrippinam, verum (nihil optimi viri honori &
existimationi detractum volo) ut illi hic firmiter credam,
cum nulla auctoritate assertum suum confirmet, impetra-
re à me non possum. Illud certum est natione fuisse *Ger-*
manum.

(a) *Syntagm. Histor. Eccles. pag. 495. edit. 4ta.*

§. III. Contulit se noster *Taulerus* pro more illo-
rum temporum, & exemplo aliorum adductus, ad soda-
litatem religionis causa institutam, addixitque se ordini
monachorum *Dominicanorum*, (qui ab officio *Prædicato-*
res s. *Prædicantes*, Germanice *Prediger = Mönche* ap-
pellantur) quorum regulas vivendi, fideliter atque dili-
genter observavit, fratresque vita & opere, ut idem face-
rent, excitavit (a).

(a) *vid. præfat. Serm. Tauleri A. 1621. Francof. edit. præfix.*
repetitamq; in edit. 1681.

§. IV. Bona indole & acri ingenio eum naturâ exor-
navit, quod variis scientiis egregie expolivit. Inprimis ve-

ro excoluit *Theologiam mysticam*, de cujus origine, & progressu videatur Cl. *Jacobus Thomafius* (a) & M. *Job. Guntber* (β) *Philosophia & Theologia Scholastica*, quæ tunc temporis admodum florebat, peritum fuisse ex ejus scriptis comparet. Cum scientia conjunxit pietatem, & pietatis, ut par erat, prima semper potissimaque cura ei fuit. Quapropter etiam donis singularibus & quadam revelationum divinarum luce collustratus fuisse perhibetur. Hæc causa fuit, quamobrem *Theologi illuminati* nomine insigniatur.

(a) *Schediasm. Histor. de philosophia Gentili, Gnosticorum heresi & Theologia mystica, quod suo merito eximie commendant Eruditi Lipsienses in Act. Anno 1687. pag. 21*

(β) *disput. de religione Quietistarum Ann. præterito Lipsiæ sub præsidio Magnif. D. Carpovii habit. cap. 1.*

(γ) *vid. præfat. modo allegatam.*

§. V. Præcipue vero eximiis dotibus ad docendum populum instructus memoratur. Tanta facundia conciones habuit, tantaque dulcedine auditorum animos occupavit, ut similem ejus vix illa ætas tulerit, adeoque ab omnibus magno concursu audiretur, pariterque in magno pretio haberetur. (a) Propterea *Robertus Bellarminus* (β) eum recte elogio Concionatoris insignis, & *Henricus Spondanus* (γ) mirabilis cohonestavit, Gesit aliquandiu officium Concionatoris *Coloniae ad Rhenum*, prout ex ejus sermonibus (δ) patet. Inde *Argentoratum* pervenit, ibique verbi divini interpretem ac præconem egit, ubi & mortuus & sepultus est, quemadmodum infra commemorabo. Utrobique officium suum pie gnaviterque peregit, vitia auditorum sine studio & favore prorsus intrepide redarguit, & eos ad poenitentiam

tiam & vitam frugi peramanter hortatus est, quod promptum esset pluribus testimoniis, quæ in concionibus ejus supersunt ostendere, nisi definita chartæ angustia prohiberet. Ex multis unum tantum dabo. Habetur illud in Concione Epiphaniarum habita, ubi dicit prælatos esse cæcos & cæcorum duces, metuendumque esse, ne & duces & ducti simul in exitium æternum ruant. Verba ejus ita sonant: Die Prælaten der heiligen Kirchen sollen die Menschen regieren / und richten nach dem Lob Gottes und nach allem seinem liebsten Willen / so seind sie von erst leider selbst blind / und also fñhrt ein Blinder den andern / das zu fürchten ist / das sie beyd mit einander fallen in den Grund ewiger Verdammniß. Ex quibus puto latis superque manifestum est, quod dixi. Eam ob causam nonnulli inter Monachos veteranos acerbissimo eum odio persecuti sunt, quod patienter fortiterque tulit & partes suas obire pertendit, ratus id gloriæ sibi esse, quod virtute & pietate partum esset.

(a) Vid. Histor. Joh. Tauleri subjunct. editioni Augustana 1608. serm ejus statim ab initio (β) p. 278. lib. de scriptor. Eccles. qvi omnium, quos ipse edidit, librorum optimus est judicio Georg. Calixti tract. eruditissimo de Conjug. Clericorum sect. 202. Conf. celeberrimi Bosii introduct. in notitiã script. Ecclesiasticorum cap. 2. §. 5. p. 15. (γ) continuat. Annal. Card. Baronii A. 1355. (δ) Vid. Serm. 37. p. 88. facie b. edit. Augustana, quæ nunc utimur. (ε) Serm. 3 p. 8. f. a. (ζ) vid. præfat. bis jam citatam.

§. VI. Pari animo tulit calamitates divinitus sibi impositas, quod probe sciret, tandem cum gaudio & læticia commutandas esse. Variis autem gravissimisqve ætumnis atqve vexationibus Deus ipsum castigavit atqve exera

exercuit per duos, & quod excurrit, integros annos, ut pro-
pterea etiam amicis ludibrio fuerit (α). Quod ideo factum
esse creditur (β), ut ne elatior fieret & donis divinitus
concessis superbiret (γ).

(α) *Quorsum conferatur* Historia Tauleri p. 214. seq. & D.
Hieronymus Wellerus in *Pf. 119. cujus verba praefixa*
edit. Concion. Taul. Francof. 1681.. (β) *vid. iterum*
Wellerus l. c. & praefat. vet. edit. Francof. concion. Tau-
leri. (γ) *Quemadmodum Apostolus Paulus de surcu-*
lo carni suae infixio & Angelo Sathana, qui eum colaphis
caedebat, confitetur, 2. Corinth. 12. 7.

§. VII. In scholis obscurum ejus nomen fuit, id
quod ipse *Lutherus* animadvertit (α) & inter scholasti-
cos ignotum ejus nomen fuisse testatur. Causa rei est,
quod non amarit scholasticorum delicias, abstrusas ni-
mirum, subtilesque disputationes; sed eo saltem respexe-
rit, ut auditores ad amorem Dei suiq; notitiam deduceret
ac permoveret.

(α) *loco infra adducendo.* (β) *Vid. praefatio, aliquoties*
jam laudata.

§. VIII. Cæterum scripsit vir pius & eruditus
multa sermone Germanico opuscula, quibus nomi-
nis sui memoriam ad posteros transmisit. Ea recenset
Poffevinus (α), Cardinalis *Bellarminus* (β), & ex
eo *Gerhardus* p. m. (γ) Præcipua in linguam latinā trans-
lata à famoso illo Carthusiæ Coloniensis Monacho *Lauren-*
tio Surio edita Coloniae 1548. quæ *Labbeo* (δ) & D. *Gvilielmus*
Cave (ε) exhibent. Conf. Cl. *Olearius* (ζ). Nos ea
tantum adjiciemus, quæ ad manus nostras pervenerunt.
Sunt autem sequentia :

Sermones, quibus explanatio Evangeliorum, quæ die-
bus dominicis ac festis sanctorum enarrari solent,
comprehenditur (η).

Me-

Medulla animæ (Vollkommenheit aller Tugenden.) (D)

Tract. de paupertate Spirituali (1).

Pia exercitia de vita & passione Salvatoris nostri. (u)

(a) *Apparat. Sacr. Tom. 1.* (β) *l. c.* (γ) *Patrolog. p. 638.* (δ) *dissert. de script. Ecclesiast. Tom. 2. p. 6108.* (ε) *chartophyl. Eccles. p. 324. edit. Leucopetr. Londin. p. 279.* (ζ) *Abac. Patrum & script. Eccles. p. 267.* (η) *edit. August. Ann. 1508. in fol. Basilea Ann. 1521. & 1522. fol. & Francof. 1681. in 4to. Quæ tres posteriores editiones per multos sermones continent, quos in Augustana frustra quæres, ideoque præ hac commendanda.* (θ) *edit. in 4to Francof. 1681 cum sermon. (ι) edit. Francof. 1681 cum postill. Sub hoc titulo: Nachfolgung des armen Lebens Christi.* (κ) *edit. Colonia 1548. in forma sua ex officina Job. Quentelii latinitate donata à Laurentio Surio.*

§. IX. Nonnulli, & sigillatim *Fratres Rose & Crucis* (α), existimant ab eo compositum esse libellum celebrem (β), qui nomen *Theologia Germanica* præfert, de quo varia extant elogia collecta à *Thomasio* (γ). Verum falli eos statuo, & certo nitor argumento. *Taulerus* enim in libro illo (δ) citatur, quod satis evincit, non ejus esse opus. Taceo in principio libelli legi, autorem fuisse sacerdotem & custodem ordinis equitum Teutonicorum Francofurti in domicilio ad equites illos pertinente (ε).

(α) *in scripto cui titulus: Frater Crucis Rosatæ A. 1617. citante Cl. Hoornbeckio summ. contro. p. 385. edit. Colberg. 1676.* (β) *editus est sæpissime in lingua Germanica, ut Ann. 1518. 1519. 1520. 1528. 1681. cum postilla Tauleri & c. Prodiit etiam non unavice in linguam latinam conversus à Johanne Theophilo, sub quo nomine latitare Sebastianum Castellionem, versione codicis sacri latina clarissimum; conjicit Thomasius Sched. Hist. p. 75. (γ) l. c. p. 74. (δ) cap. 12. (ε) conf. Thomas. l. c. p. 73. & Hoornbeck. l. c.*

§. X. Jam proferendum est judiciū de *Taulero* ejusq; scriptis. Quod primo à *Doctoribus Romano-catholicis* arcessā. Illi vero non eadem prorsus ratione de eo sentiunt. Nec

B

illud

illud mirum, solet enim, ut ait Bellarminus (a), accide-
 re iis, qui scribunt de Theologia mystica, ut eorum dicta ab
 aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem
 modo ab omnibus accipiuntur. Id etiam usuenit viro
 magni inter Theologos Mysticos nominis, eodemque,
 quo Taulerus seculo vixit, claro (b), Johanni Rusbro-
 ckio, s. ut D. Guilielm. Cave (c) vocat Ruysbrockio, Pri-
 ori Canonorum regularium Augustini Monasterii Vi-
 ridivallensis in Brabantia, Carpsit eum Job. Gerson, Can-
 cellarius Parisiensis, Theologorum sui temporis longe
 princeps, iudicio Job. Tritheim (d). At defendit Dio-
 nysius Carthusianus. Vid. Bellarmin (e). & Gisbert. Voet.
 (f) Job. Eccius infensissimus hostis B. Lutheri nostri
 valde abjecte de Taulero sentit, quod fecit odio Lutheri (g)
 Taulerum magnifice celebrantis; sicut Antonius Possivi-
 nus multos historicos ex nullo alio capite rejicit, quam
 quod Lutheri & hujus applausorum honorifice meminis-
 sent (h). Vocavit Eccius Taulerum somniatorem, ha-
 reseos arguit & ut prorsus lateret, & nunquam in monaste-
 ria involaret, optavit. Eccio strenue se opposuit Ludovi-
 cus Blosius Abbas Lætiensis, qui Taulerum catholicae fidei in-
 tegerrimum cultorem appellavit, dixit ea, quae scripsit sana
 & plane divina esse, optavitque in nomine domini, ut Tau-
 lerus ubique gentium cognitus esset, & a pluribus diligentissi-
 me legeretur, addit, minus circumspectum Eccium, Taule-
 rum nondum satis à se lectum damnasse, quod refert & ap-
 probat Possevinus (i). Cardinalis Bellarminus Vir illustris-
 simi nominis apud Romano-Catholicos (k) ita ait: (l)
 Hunc virum (Taulerum) ut suspectum circa fidem contem-
 psit Johannes Eckius, sed egregie eum defendit Ludovicus
 Blosius. Henricus Spondanus Gallus ita scribit (m) Tau-
 leri extant sermones & alii tractatus unctiorem divini spi-
 ritus referentes, praedixitque haereses contra Sacramenta &
 dogmata Ecclesiae catholicae brevi à Wiclefo orituras, contra

ejus obrectatores apologiam scripsit Ludovicus Blofius, recentior ejusdem Spiritus Sancti devotissimus discipulus. Placet addere quoque Sixti Senensis (v) judicium, qui inquit: Tauleri extant sermones admirabili spiritu editi. Scripsit de passione domini ex 4. Evangeliiis librum unum devotissimum, item sermonum in varias Evangeliorum locos librum unum scholasticarum meditationum.

(α) de script. Eccles. p. 280. edit. Colon. 1657. (β) teste Trithemio de script. Eccles. pag. 332. & de vir. illust. Germ. p. 148. claruit temporibus Wenceslai Imp. & Bonifacii IX. Ann. 1390. juxta Gvilielm Cave floruit jam A. 1360. & obiit A. 1381. loc. cit. edit. Londin. p. 283. Leucopetr. p. 329. (γ) l. c. (δ) de script. Eccles. p. 348. (ε) l. c. (ζ) Tract. quem TA ΑΣΚΗΤΙΚΑ s. exercitiæ pietatis inscripsit, p. 85. edit. 1664. (η) Vid. denuo Thomas. l. c. p. 72. (θ) vid. Christian, Weiss. Idea Boni Historici Lips. 1666. edit. cap. 2. §. 19. (ι) l. c. (κ) Vid. ea de re multa lectionis, judicii que limati Theologus, D. Christianus Kortholtus præfat. Tract. de Canon. script. S. Kiloni 1669. edit. (λ) l. c. p. 278. (μ) l. c. (ν) lib. 4. biblioth. S. p. 336. edit. Colon. 1626.

§. XI. Progredimur nunc ad Reformatos. Inter eos Theodorus Beza (α) contemptim de eo judicat. Marnixius Enthusiasti accusavit, prout id annotarunt celebres inter Reformatos Belgas Theologi Gisbertus Voetius (β) & Johan. Hoornbeck (γ). Ipse Voetius (δ) non vult credere Taulerum in forma Enthusiastam fuisse, nedum intentione sua, fatetur (ε) tamen plurima aut saltem aliqua periculose dicta ab illo, quamvis non eadem mente, qua ab Enthusiastis & Libertinis hodiernis accepta, viâ detestandis Enthusiastis & furoribus stravisse. Hoornbeckius (ζ) tale de eo judicium nobis reliquit: Fuerunt sub Papatu, qui vel inscii, vel imprudentes viam multum straverunt Enthusiasticis illis hominibus sua mystica Theologia, quemadmodum loquuntur, & libellis pietatis, in quibus terminis & pbrasi- bus duris, mysticis & allegoricis, tum inspirationis, tum deifi-

ficationis &c. saviuscule usi, qui ab aliis pro Entusiasmi-
habiti, vel accepti postea fuerunt. Quales Job. de Schoon-
bovia, Job. Taulerus,

(a) cit. antor præfat. Trad. Tauleri de paupertate Spiritu-
uali præfix. (b) l. c. p. 77. (c) l. c. p. 384. seq. (d) l. c.
(e) l. c. p. 79. 80. (f) l. c. p. 384.

§. XII. Sed commemorandum etiam quid Nostra-
tes de eo sentiant. Luthero insigniter laudatum fuisse,
jam indicavimus. De eo alicubi (a) sic inquit: Hunc
Doctorem (Taulerum) scio quidem ignotum esse scholis
Theologorum, ideoque forte contemptibilem, sed ego plus in
eo (licet totus Germanorum vernacula sit conscriptus) re-
peri Theologiae solidæ & sincerae, quam in universis omni-
um universitatum scholasticis doctoribus repertum est, aut
reperiri possit in suis sententiis. De Concionibus ejus
sic scribit (b): Iste (sermonum Tauleri) est liber in
quo videbis quomodo eruditio seculi nostri fœva sit, imo
terrea, sive sit græcitas, sive latinitatis, sive hebraicitatis,
ad hanc solidæ pietatis eruditionem. Et iterum (c): Si Te
delectat puram solidam antiquæ simillimam Theologiam
legere in Germanica lingua effusam, Sermones Joh. Tau-
leri prædicatoriæ professionis comparare tibi potes. Ne-
que enim ego vel in latina, vel in nostra lingua Theologiam
vidi salubriorem, & cum Evangelio consonantiorum. Gu-
sta ergo, & vide quam sœvavis est dominus; ubi prius
gustaris, & videbis, quam amarum est, quicquid
nos sumus. Gratiam ei apud hunc conciliavit judi-
cio Thomasi (d), viri subactissimi judicii, infi-
nitæ lectionis, & in omni liberalis doctrinæ genere
versatissimi, elogio celeberrimi Bossii, (e) quod traderet
Theologiam dissimillimam Scholasticæ, quæ sanam de
Christo, verisq; bonis operibus doctrinam corruperat. Ob
commendationem Lutberi eundemq; Michael Nean-
der

der (ζ), quem merito inter decora refert respublica li-
teraria, studiosis Theologiæ commendat. Verba ejus ad-
scribere non pigrabor: Quia Lutherus aliquoties Taule-
rum etiam celebrat, & Doctorem Veselum & autorem li-
bri, qui titulo Germanicæ Theologiæ ab ipso Luthero est
editus. & præcipuis Ecclesiæ Doctoribus non modo adnume-
rat, sed etiam bis fere omnibus anteposit: non debemus nos
quodq; eos præterire silentio, sed studiosis commendatos & no-
tos hac nostra indicatione reddere. Idem vocat (η) Tau-
lerum maximi Spiritus Theologum. D. Nicolaus Hunnius, fe-
licis recordationis sic de eo scribit: (θ) Taulerus in me-
dio Papatu viribus naturalibus, libero arbitrio &
meritis bonorum operum vehementer contradixit. & ite-
rum: (ι) Sicut in Taulero multa egregia doctrina, con-
solationes & orationes &c. reperiuntur; ita omnia ejus dog-
mata & locutiones non possum defendere, neq; excusare,
quam libenter etiam, si veritas & rei ratio permitteret, cu-
perem. Et rursus: (κ) Ex quibus & permultis similibus,
quæ adjicere non necessarium duco, proclive est judicium
ferre, annon Taulerus per se, minimum per accidens,
Schvvenckfeldianorum, Anabaptistarum & Weigeliano-
rum figmentis ansam dederit. Liberum vero cuique est,
probatam solidamqve interpretationem excogitare, quæ
excuset, quod lubentissimo animo patiar. Celeberrimus
Dorscheus (λ), cujus memoria sit sancta, gravis-
simum plurimorum abusuum censorem vocat. Per-
quam honorificum quoque de eo fert judicium Autor
præfat. Concion Tauleri edit. Francof. 1621. præpos. Idem
facit Vir summe Reverendus, & de pietate ac literis opti-
me meritus, Dn. D. Spenerus, (μ) cujus propensissimum
affectum in me, dum ante annum Dresdam lustrarem,
publice hic gratisimò agnosco & deprædico animo. Ma-
gni-

gniqvoqve fecit *Taulerum* piissimus *Arndius*, quod pra-
laudatus, nusquamque satis laudandus Magnif. D. *Spenerus*
nos docuit (v). Venerandus ætate & miraculo lite-
rarum Dn. D. *Quendstedius* (ξ) dicit: negari non posse
quædam in ejus sermonibus inveniri, quæ occultas inspira-
tiones, verbum internum, & alia contra nostram fidem
pugnantia prodant.

(α) Tom. 1. Latin. *Jenens.* pag. 86. 6. (β) Tom. 1. *Epistol. Epist.*
207. ad *Georg. Spalat.* A. 1519. data pag. 167. 6. edit. *Jen.* 1556. in
410. (γ) Tom. 1. *Epist. Epist.* 23. ad *Spalat.* A. 1516. dat. p. 32. fac. 4.
(δ) l. c. pag. 72. (ε) *Exercit. ad Perioch. Josephi de Christo* p. 74. (ζ)
Prefat. erotem. Grec. Ling. pag. 308. edit. *Basil.* 1565. (η) *ibidem*
in margine. (θ) *In Consideratione Novæ Paracels. & Weigelianæ*
Theologiæ edit. *Wittenb.* 1622. pag. 13, 14. (ι) l. c. p. 14, 15. (κ) p. 19.
(λ) *Pentad. Disput. XI.* §. 25. (μ) *Prefat. edit. Francof.* 1681. pra-
fix. (ν) l. c. ubi nonnulla ejus verba de *Taulero* ex literis ad perso-
nam principem 1621. datis allegat notatu dignissima; quæ si quis de-
sideret, hæc sunt: Ein Herz so Christum zum Grund gelegeet
hat / wird in *Taulero* ein solch Liecht der Besserung / der An-
dacht / der Heiligkeit / der Furcht Gottes / der Geistliche Weis-
heit finden / daß ers wird fruchtbarlich zur Geistlichen Seelen
Arznei zu geniessen haben. (ξ) *Dialog. de patriis illustr. do-*
ctrina & scriptis virorum p. 143. edit. 1654.

§. XIII. Nos suum cuique de eo permittimus judi-
cium, nec in re tam seria, magnique momenti nostrum
interponere audemus. Si tamen dicendum est, quod nobis
de eo videtur, duabus propositionibus id conficiemus.
Altera sit, quod *Taulerus* studiosis *Theologiæ* merito
commendari videatur, altera, quod magno cum judicio
& cautione debeat legi. Posterioris sententiæ ratio est,
quod non solum haud pauci in eo reperiantur errores (α)
approbati, qui in sermonibus edit. *Francof.* 1621. & 1681. di-
ligenter sunt annotati; sed etiam non raro dictionibus
&

& formulis loquendi utatur, quæ videntur *Enthusiasticis*, nominatim *Weigelianis* & quos non ita pridem D. Michael de Molinos in Italia exclusit, *Quietistis* (β) favere. (γ) Quas tamen nolo asserere sensu fanatico ab eo acceptas fuisse (δ). Prioris conclusionis fundamentum est, quod tum passim in eo utiles spirituque plenæ doctrinæ occurrant (ε), quæ in concionibus fructuose adhiberi possunt; tum præcipue, quod basin veritatis salvificæ Christum Jesum, tanquam unicum & perfectum Mediatorem inter Deum & hominem constanter docuerit, (ζ) & in aliis quoque doctrinæ capitibus nostræ religioni insigne perhibeat testimonium, (η) quo ad convincendos adversarios *Romanico-Catholicos* feliciter uti possumus. Si Patres primitivæ Ecclesiæ propter errores suos (θ) non contemnimus; Si scripta *Lutheri* priora propter nævos, quos habent confessione ipsius *Lutheri* (ι); non abjicimus; cur quæso lectionem *Tauleri* nostri improbemus? Sicut *Virgilius* ex *Ennii* stercore aurum collegit; ita Theologus ea ex *Taulero* conquiret, quæ repurgata à sordibus ei in Theologia sua plurimum prodesse possunt.

(α) *Speciatim* purgatorium vid. *Serm.* 40. p. 97. b. *Serm.* 37. p. 88. a. *Serm.* 38. p. 89. b. *Serm.* 43. p. 104. b. & 105. a. *Serm.* 44. p. 108. b. *Serm.* 46. p. 113. b. & 114. a. &c. *Limbus Patrum*. Vid. *Serm.* 12. p. 28. b. *Serm.* 51. p. 126. a. & p. 127. a. *Avayαεγνoία* Mariæ *Deiparæ*. vid. *Serm.* 78. p. 192. b. &c. (β) *Quorum dogmata præter supra allegatum M. Günther. recensuit & confutavit maxime Reverendus D. Lœscherus, Præceptor meus & Patronus observandus Lect. publ. & Venerandus D. Rango, Theologus Sedinensis tract. in lingua nostra vernacula edito in 12. cui titulum fecit. Novus Quakerismus in Quietismo, (Neue Quäckeren in der Quietisterei).* (γ) Vid. D. Nicol. Hunnius, l. c. p. 15. (δ) *Conf. append. medull. anime Taul.* (ε) prout fatetur Hunnius l. c. p. 14. (ζ) quod testatur celeberrimus D. Spenerus l. c. & autor præfat. sæpius jam allegata (η) *Conf. Matth. Flacius Illyricus catalog. test. verit. p. 744. seq.*

seq. edit. Francof. 1666. Obiter hic notamus de editione Simon, Gou-
lartii, quod passim testibus Calviniana sententia & doctrina inter-
polata, ideoque caute & cum delectu legenda sit, Vid. pluribus ea
de re Cl. Thomaeus l. c. p. 62. & D. Rango, de dolis & fraud. Pseu-
dotheolog. p. 39. (9) de quibus vid. Jacob. Gaffarell. Theologus
Gallicanus curios. inaud. cap. 2. §. 9, Rivet. Crit. S. p. 56. seq. edit.
Genev. 1660. Dallæus l. 2. de usu Patrum, cap. 4. Joh. Botfaccus,
Patrol. edit. Stetin. 1664. (1) Prefat. Tom. 1. Latin. Jenens.

§. XIV. Reliquuum est, ut de obitu & sepultu-
ra Tauleri aliquid subjungam. Mortuus est Argentora-
ti, postquam per aliquot menses exquisitis morbi dolo-
ribus afflictus & confectus erat (a), ubi honorifice con-
ditus & tumulo illatus in Collegio Academico à latere
auditorii, quod hybernum appellatur, quo in loco lapis
sepulchralis etiamnum conspicitur, cui incisa effigies ejus,
manu dextra in ulnis sinistris agnum Dei common-
strans. *Plurimi olim (inquit B. D. Dorsch.) (β) ex san-
ctis Dei confessoribus ut posthumo etiam monumento uni-
cam suam in Christum Salvatorem fiduciam testarentur, ef-
figiem suam, agnum Dei ulnis gestantem tumbæ incidi vo-
luerunt.* De anno emortuali dissentiunt inter se dissi-
dentque scriptores. Nonnulli in annum 1355, rejici-
unt (γ). Quidam assignant & constituunt A. 1379.
15. Julii (δ). *Stratemannus (ε) conjicit in A. 1380.*
Sed omnes hi mea opinione falluntur, quod sine cujus-
quam injuria dictum velim. Recte vero sentiunt (ζ),
qui annum emortualem nostri ponunt in Ann. 1361. 16.
Kal. Junii. Quem annum inscriptio lapidis sepulchra-
lis manifeste indicat ac definit.

(a) Vid. Histor. Tauleri p. 220. f. a. (β) l. c. (γ) teste Spon-
dano. (δ) Joh. Henricus Hottingerus Histor. Eccles. part. 3. p.
716. Autor præfat. sepissime laudata. (ε) Theatr. Hist. Eccles. p.
847. (ζ) inter quos Calvinus opp. chronolog. ad ann. 1361.

108 (0) 50

1077

ur

QR. 524, 72.

B. m. 1856



JOH

ERI

Handwritten bleed-through text:
D. J. JOH
S. Carl. Palat.
Conditio emia
preschistne m
leberim

Handwritten bleed-through text:
D. J. JOH
S. Carl. Palat.
Conditio emia
preschistne m
leberim

Loco

vicini

M. GEOR

PELIO,

EXELIO,


JOHAN

CHRIST

DERO,

Domiti

SS.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak LICENSED PRODUCT Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue